…ann. Flor.

Barszcz Petri: Αναμαρτητος sive Oratio ostendens viri boni vacuum esse a noxa tutum, quam ad diem funeris Franc. Flor. Zebrzydowski conscripsit.

ΑΝΑΜΑΡΤΙΤΟΣ
SIVE
ORATIO
Ostendens
VIRI BONI OCCASVM
ESSE A NOXA TVTVM,
QVAM
Ad diem Funeris
Illustrissimi & Magnifici Domini
D. FRANCISCI FLORIANI
A
ZEBRZYDOWICE
ZEBRZYDOWSKI,
CASTELLANI LVBLINENSIS,
In noua Korczyn, Szereszouiensis, &c. &c.
PRÆFECTI,
PETRVS BARSZCZ Art: & Philosophiæ in Alma Vniuersitate Cracouiensi Baccalaureus
CONSCRIPSIT.
Anno Iubilæi M. DC. L. die 3. Nou.

CRACOVIÆ,
Apud LVCAM KVPISZ S. R. M. Typographum.

Jn
Jnſigne
Auguſtæ Domus
ZEBRZYDOVIANÆ



Et pietas cultum, præſens & Ciues in armis
Auxilium referunt. Raduane ſole tuo
Gens ZEBRZYDOVI felix, quæ ſtemmate gaudes
Tam claro! meritis ſed petis vſq; polos.
Cumq; poli virtute tuâ lætentur & Orbis.
Et nobis viuas: ſemper amica precor.

AD

Illustrissimum & Magnificum Dominum,

D. MICHAELEM NICOLAVM A ZEBRZYDOWICE ZEBRZYDOWSKI.

Supremum Regni Poloniæ Ensiferum Lanckoronensem, Sniatinensem, &c. &c. PRÆFECTVM.

V*ideatur sanè meas vires hoc munus excedere, quo* ILLVSTRISSIMI FRANCISCI FLORIANI ZEBRZYDOWSKI, *Castellani Lublinen: &c. &c. Carißimi Fratris tui mortali vitâ functi laudes, futuris quoq; celebrandas, ieiuno apparatu quamuis, candido affectu contendo lucem in publicam producere,* ILLVSTRISSIME DOMINE: *nihilominùs & officij mei necessitate cogente, & tuo reconditiori in illum studio, quodammodo exigente, tam præclari viri decessum, crudo adhuc dolore, non potui silentio tenere. An autem non æquißimum censendum, pios illius manes, mæstis laudibus à quoquam ornari debere? qui superstes, eximiis virtutibus, egregiam operam nauaßet. Et satis forsan non nemo putaret, iusta præconia tanti Senatoris animi consternatione celebrare: cum non relinquatur locus cuiusquam prædicationi, dum vitæ ipsius gloriam, nobilißima paßim declarent monumenta: verum enim quò magis (esto ille naturæ lege sit resolutus) in eorum sensus, quibus sua non innotuerat dignitas, ipsius memoria famaq; veniat, & merita, nominisq; amplitudo, perennitati cuidam consecrentur; hunc ego scribendi laborem non inuitus suscepi. Præ-*

 terea

terea impatientes dispendij sui amici, inusitato contabescunt dolore: familiares, excessum eius mærentes, post Fata quoq; solatium, de honore impertiunt virtutis: Cliens ego, & quemadmodum illius olim, æquè vt tuum, ita modo tuum semper Patrocinium, ILLVSTRISSIME DOMINE *spectans, quid est, cur non in nominis eius diuturnitatem, ad posteros literis propagandam conspirem? Neq; verò puto, hoc eum indigere laudis genere, qui hominum Elogia, dum in humanis degeret, vt variis mortalium Sententiis obnoxia, ægrè admittebat: quia verò, bonorum ornamentis incitatur imitatio, & virtus, æmula alitur exemplo honoris alieni, (vt inquiebat eloquentissimus Symmachus) quamobrem quin ab eiusmodi argumento abstinerem, non potui mihi temperare. Et abierint cum illo suæ honestæ actiones; iudicium profectò post mortem non potest non perseuerare. Scilicet, quisquis viuens in ore plurimorum, ob egregiè facta versatur, nominis eius memoriam, & rectè gestorum æstimationem, in animis fauentissimorum, incredibile sentirem non retineri. Illam ego, Carissimi Fratris tui, prudentisq; Senatoris, dum memoribus fastis, extendi cupio maximè; vt de illius bonis Manibus mereri, ita tuam* ILLVSTRISSIME & MAGNIFICE DOMINE *beneuolentiam, tuum fauorem, tuum singulare Patrocinium, mihi rebusq; meis æstuo promereri.*

Illustriss: & Magnif: Dominationis Vestræ,

Cliens Deditissimus.

PETRVS BARSZCZ.
Art: & Phil: in Alma Vniuersitate
Crac: Baccalaureus.

Video

VIdeo multos, vehementis impetu doloris, ob fatalem diem Illuſtriſſimi olim Domini FRANCISCI FLORIANI à ZEBRZYDOVICE ZEBRZYDOWSKI CASTELLANI Lublinen. &c. &c. in indignationem abripi. Video non paucos, ob præmaturum ſuum è humana conuerſatione diſceſſum, plùs æquo acerbius commoueri. Eſt hæc non ingrata beneuolentiæ conteſtatio, ſibi communione ſanguinis deuinctis; quibus ille & naturâ carus, & plurimis obſeruantiæ, humanitatis & obſequij ſtudijs commendatus vixit. Lenit duritiem inuſitati mæroris, Illuſtriſſimi Fratris, quem illi præter aliorum amicorum, denſata funera, manſuetudinis expertes Parcæ, eius etiam qui ſibi magis fidus, quàm Theſeus Herculi, aut Achates Æneæ fuiſſet, lethali deceſſu impreſſerunt. Quanquam non definit, tamen aſperitatem eius mitigare poteſt, in animo Optimæ Coniugis, non minùs, quám Plotina olim Romana, in neceſſitate dulcis mariti laborantis. Cariſſimi liberi, dum ſibi tutamen effractum, ſolatium ereptum, lumen extinctum, decus, ſplendoremq; plùs quàm denſis nubibus inuolutum ingemiſcunt: in tanta triſtitiæ magnitudine, quodam modo videntur releuari. Scilicet fidorũ amicorum lachrymis, in afflictis rebus moleſtiæ mitigantur: ægritudo ſenſuum, eorum conſternatione minuitur: ſupremæ calamitatis affectiones, fomenta recipiunt conſolationis. Abundè itaque ſuauis eſt amicorum præſentia, & in proſperis rebus, & in aduerſis; quæ & homines probat: & mærores ac luctus comunicans, participanſq; facit leuiores. Enimuero, quam ſalutaris medela conturbatæ mentis? *Contra mortem, omnes homines, inhabitare Ciuitates immunitas: Vitâ functos amicos habere aut nobis ſimiles, aut etiam meliores.* Quid? *Quod nec noſtra quidem conſuetudine, diu carituri ſunt*; quibus eô, ſententiâ Iudicis æterni, viciſſitudinis neſciâ, commigrandi definita neceſſitas. Parua hæc? at certè, cum bonorum occaſus, non mors, ſed vita, cenſeatur eſſe: quam grande in miſeria ſolatium, in periculis animi robur, in luctâ, victoriæ præſagium, in omnibus aſperis, felicitatis futuræ documentum, eſt habendum. Fortunata dies, quâ homines tædijs, morbis, dolis, fortunæ impotentis comminatione, eximuntur! fortunatior, quâ initium immortalitatis, nullis circumſcri-

ptæ cancellis, homines nanciſcuntur! Sed fortunatiſſimus vitæ mortalis decurſus, cui priora, veluti ſolidiora virtutis præmia, cœleſtium iudicijs incolarum, deferuntur: & illius gloriâ, poſteritatis animi, ad hoc ſtudium, cũ perenni fama tranſigendum, accenduntur. Memorandum etiam in terris, Illuſtre nomen FRANCISCI FLORIANI ZEBRZYDOVII, Ampliſſimi Senatoris, qui ſic totam temporis huius propagationem, peragebat; vt optatam attingeret felicitatem. Si enim inprimis Patriæ incolumitatis amorem, ſi publicæ integritatis ardorem, in eo conſiderabimus: nemini eum, ex illorum numero, quos aut Athenæ celebrauerunt, aut compendium totius Orbis Roma ſuſpexit aliquandò, numiniſque virtute quadam præditos, putauit, egregijs factis, ſecundum agnoſcemus. Dulces illi moleſtiæ fuerunt, quibus Reipub. nitebatur parare iucunditatem: minimè tædioſi labores, quos ad publicum bonum libenter ſubibat, vindicandum: pretioſa Ciuium ſalus, quam propriæ anteponebat integritati. Etenim, vt omittamus, quantum in illis rebus, ex quibus non minor fama ad Rempub: quam ad eum ipſum perueniebat, Magnificentiæ ſtuduerit: quantum pro maieſtate & cultu, Sereniſſimorum Principum, WLADISLAI IV. olim, & feliciſſimè habenas, Auguſti huius Regni, moderantis IOANNIS CASIMIRI, egerit: illa nimiùm quam vulgata, quia difficultatibus nullis, ab honeſtatis propagatione, deterreri potuerit: caritatem & iuſtitiam, libertatem & manſuetudinem, candorem & fidem vnicè coluerit: clementiam, magnanimitatem, & propenſionem in omnes exercuerit: ac vel his exornatus, dignum ſe immortalitatis trophæis exhibuerit: vt hæc inquam prætereamus, quanti momenti ſit illud, dum his deplorandis temporibus, non magis ad conſulendum communi tranquillitati, quàm ad comprimendam buſtuariorum audaciam acris; neque magis ad ſuadendum quæque grauiſſima, publici boni gratiâ, in ſententia expeditus; quam ad ſubeunda, cum propriæ quoq; vitæ, fortunarumque diſpendio, fortis extiterit? Atq; ſentirem ego, ſolam etiam tam generoſi ſanguinis rationem facere, quâ maximè, & antecellere pulcrum, & commendari iucundum, & vigere ſanum, & viuere glorioſum, nuncupemur. Quippè ſi Thaleti, ingenio prompto, iudicio graui, & vſu commendatiſſimo habenda fides: hæc animi celſitudo, potiſſimum eos, qui Martis alumni, Herculis æmuli, Iouiſq; progenies haberi cupiunt, decet: hâc, ſi nominis tenentur deſiderio, perpetuum decus, ſi amplitudinis, incredibiles facultates, ſi dignitatis, literarum monumentis, non morituræ po-

ſterita-

ſteritati, commendandos titulos, conſequntur. Felices, qui hoc vnum, domi, foris, in pace, & armis meditantur! qua nam ratione, maximè, & graues cum animo, & prudentes cum iudicio, & ſeueri cum moderatione, & obſeruandi cum authoritate, & formidandi hoſtibus, & colendi ſuis reddantur? At enim, quis non totus ſolueretur in riſum Democritus, ſi plures malle, ex ære, Liſyppi induſtriâ ſculpi, quam animi magnitudine, præcellere, inueniret? plures Praxitelis, commendari laboribus, aut Apellis, Zeuxiſuè, penicillis: quam egregijs in Patria ſalute defendenda, fortunis Ciuium propagandis, atque cariſſima libertate vindicanda? Viueret hac tempeſtate ſapiens Antiſthenes! quam ægrè contineret riſum, Leones in Lepores, Aquilas in Nicticoraces, degenerâſſe? Adeſſet lumen totius Græciæ Demoſthenes, quæ non tonitrua, quæ non fulgura, vel fulmina in eos vibraret, quibus, ingens cura comparandi, quæ ad videndum faciunt: nulla ſolicitudo conquirendi, quæ ad benè beateq; agendum conducunt? quibus totũ ſtudiũ vt lautè, ſplendidè & ſumptuosè; nulla diligentia, vt moderate, humaniter, generosè, & commodè viuatur? Quàm non iniuriâ Mantuani Poëtæ perſtringerentur dictis.

O veræ Phrygiæ (neq; enim Phryges) ite per alta
Dyndima; vbi aſsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxuſq; vocat, Berecynthia Matris
Idææ: ſinite arma viris & cedite ferro.

Sed enim nullus tam ſeuerus Cato, nullus adeò grauis Ariſtarchus, nullus ſuperciliosus Vranoſcopus, eorum quicquam quæ ſibi diſplicerent in hoc Ampliſſimo viro deprehenderet; Scilicet, euaſerat illorum cenſoriam virgulam! Nam omnem ſuam induſtriam, honeſtati impendebat: facultates animi, publicæ commoditati, mancipatas eſſe cupiebat: generoſum animum ab auitis, inclytæ ſuæ familiæ moribus, & meritis, nequaquam alienum, eximijs conficiendis facinoribus, componebat. Et non reſponderint aliquando votis optati euentus; non ille ſuccumbebat, verum illâ mente cœleſti, contra nimium ardua adnitebatur: atque ſic molem negotiorum ſuſceptam, omnium cum applauſu, & ominis fauſti, comprecatione, viriliter ſuſtinebat. Quid illud, quod animus illi, nec inuidiâ flagrârit? nec odijs æſtuârit? nec faſtu arrectus fuerit? Cum quemadmodum lucem ſolis omnibus eminere conſpicimus; ita hic rebus in illis, quæ magnorum quorumuis etiam, illaqueare conſueuerunt honeſtum, in præclarè agendis inſtitutum, incredidibili ſplendore

virtu-

virtutis excelleret: atque viuendi cursum veluti lenimen in asperis, condimentum in acerbis, robur in onerosis, telum expeditissimum in necessitate, solatium in aduersis, tutamen in periculis, victoriã & trophæũ in discrimine possideret. O fortunatum! Nam eiusmodi studijs, non tantum sibi commodus, verum & magnis viris commendatus, Ciuibus gratus, Serenissimis vero Poloniæ Regibus WLADISLAO IV. sempiternæ gloriæ monumentis celebrando; & Potentissimo ac felicissimo IOANNI CASIMIRO (cui diuturnum Imperium, & vita perpetua!) acceptissimus: & cum singularis beneuolentiæ documentis; tum inprimis, adscriptione in Amplissimum senatoriæ dignitatis Ordinem, probatissimus extitisset. Agnouerunt & alij multi rarioris in eo specimina dexteritatis; dum nullius fortunas, quò magis Heros sentiretur, oppugnaret: in neminem vim atq; potestatem suam, quò fortior haberetur exploderet: dum omnes iure humanitatis, candoris, mansuetudinis prosequeretur: dum Principes obseruantiâ, benè meritos amore, familiares comitate coleret. Ac vixisset nostris temporibus Milo Crotoniata, fortassis indignaretur conditionem propriam: plurimum autem huic, Amplissimo Senatori gratularetur; quoniam felicitatem non viribus corporis, quod turpe, ingratum, & belluinum; verum animi vigore, quod honestum, iucundum, & humanum est metiebatur. Nec prudentissimi Viri, Bellicosissimi Principis, in sago & toga spectatissimi Herois Pausaniæ, cohortationi hîc relinqueretur campus. *Præstat hominem multi esse pretij, quam possidere pretiosa.* Constanter quippè ille vniuersa, non absimilis fluxibus aquarum certitudinis, se & virtutibus, quibus cultus & ornatus esse conabatur, inferiora ducebat. Vnum quod cum honestate, cum victura multas in ætates fama, cum perenni quoq; gloria coniunctũ bonũ, existimabat: vnũ inquam hoc, in quo vires suas exerceret, & cui procurando indolem suam præclaram, & penè cœlestes dotes consecraret, dies & noctes cogitabat. Atque censuerim ego, dignum extitisse, cui quoque post fata, eam, quâ præditus vixit & luxit, gratulemur faustitatem. Neque abnuerem cunctis exoptandam esse, tantam, quantâ hic priuatim cautus, publicè venerandus, in periculis securus, contra hostes, hostesné an parricidas appellem? sed parco dolori; fortis agnitus viuere, generositatem! An vero, quis tam iniquus rerum æstimator inuenietur, qui non parem commendationẽ, ad Augustam Zebrzydouiorum Familiam spectare, vt ipsi eam impertimus, arbitretur? Nimirum, celebratur fæcundi-

cunditate tellus: agris percepti fructus multum conciliant fauoris: vineam generosi ac optimi succi officinam, nec ipse Anacharsis scythes, non collaudaret: Augusta Domus Zebrzydouiana, fæcunda Illustriũ Virorum progenie, Insignis fortium Bellatorum alumnis, clarissima Nobilissimorum Patriæ Ciuium frequentiâ, quanta sibi laudis & prædicationis elogia vendicet; si Demosthenis robur possiderem, non sustinerem eos percensere: si Tullij flexanimam Eloquentiam callerem; eorum merita, nequirem explicare: si Isocratis Ambrosiâ conditissimos lepores haberem, satis ad celebrandam gloriam Herôum illius, elegantiâ destituerer dictionis. Etenim existat modo sapientissimus aliquis Socrates, qui non Xenophontem (vt ille quondam) at Ciuem Polonum interroget, Vbinam boni viri, id est animo generosi, graues consilio, flagrantes libertatis communis, vindices iustitiæ, propagatores finium Reipub. extirpatores Hæresũm, propugnatores fidei, cultores religionis, maximè inueniantur & florerent? Equidem non cunctaretur cum Xenophõte confestim respondere, neque se diceret nescire: sed Illustrem Zebrzydouiorum Familiam & libens indicaret, & talium hominum eam esse veluti quoddam seminarium, luce palàm proclamaret. Vt autem vetustissima taceam, quæ sera intuebitur posteritas: quis vel ex his, quos, aut vidimus nuper, aut quorum iucundo vitæ spiritu, modo delectamur; aut denique ex hoc ipso Magnanimo viro, cui supremum humanitatis & pietatis exsoluimus officium, non tantum non intelligit, ac planè non sentit? Magnus enim ille, vixerit sibi, perutilis Patriæ, honoris & decoris publici, perquam studiosus; nihilominus quin aliqua pars eorum, quantacunq; sunt, in Familiæ suæ ornamentum referri debeat, haud inficiandum. Scilicet, quemadmodum radij solis etsi contingunt terram, tamen ibi sunt vndè mittuntur: non absimili ratione viuas immortali gloriâ conspicuus, illius originem ad eos, à quibus vitæ iucundum hausisti spiritum, pertinere nequaquam potes negare. Augustum nomen illorum, & æternis celebrandum laudibus, quos benigna Parens Natura, de tam insigni Gentis amplitudine produci voluerit! An non beata Respublica, cuius hæc in sinu, seu amænissimus paradisus plantata: & varijs non iam arboribus, ast hominibus, nec fluminibus, ast virtutibus, nec floribus, verum cælestibus dotibus refertissima deprehenditur? Hæ nimirum solidæ ac genuinæ deliciæ Rerumpub: sunt: hi fragrantissimi spatiosum per mundum odores: hæc ornamenta,

nun-

nunquam mentibus elidenda, ſed ad inſpiciendum ac imitandum ſiuè cedris carie vacuis, ſiuè roboribus à viciſſitudinum tempeſtate liberis, ſiuè deniq; marmoribus ætatem ferentibus incidenda. Prognatos autem hînc, (tametſi fatali ſuccubuerint neceſſitati) nunquam deletos & extinctos eſſe, aſt perennem agere vitam, & optatum attigiſſe portum, ad quem toto curriculo miſerrimi huius temporis propagatione anhelabant, exiſtimandum. Virorum enim bonorum exitus, non mors at initium vitæ eſt. Illius vitæ, quam Meſſadanus olim non incultus Vir, infirmitate vehementiori correptus, vt ſuſpexiſſet, non dolores, amicis ſe viſitantibus, explicabat: non de affecta valetudine, non de exhauſtis viribus, conuulſis artubus, inſomnibus noctibus, moleſtijs, tædijs, querebatur: Verumenimuero tunc demùm optimè ſecum agi, tunc Numen ſibi propitium adeſſe, tunc ſe ſenſuum vigorem recepiſſe, gloriabatur. Sapientem hunc, quis rectè ſentientium non iudicaret? at enim longè antè hunc, eum vitæ ſtatum, poſt immutationem præſentis, Diuinus ille Plato, præuiderat: qui ne in ſummi quidem montis Athos dicti verticem, cauſa valetudinis, vbi tegi valeret, tranſmigrandum ſibi decreuerat. Nonne par animus, Græcorum Oratorum Principi, in ſubeunda fortiter fatali neceſſitate? Quid enim illud eſt, cum Philippi minas atroces, & diſtrictos cinaces contempſerit, nec ſuo capiti timuerit, & liberè, & plùs quàm Oratoribus conceſſum, caput, Si Philippus abſcindi iuſſerit, gratam Patriam, illud donaturam immortalitate reſponderit? O incredibilem animi fortitudinem bene viuentium, ad periculoſiſſima quæque tentanda & perferenda! O metuendum & formidandum occaſum, illis, qui nihil in vita, præter communem hanc nobis cum animantibus, vitam ſenſerunt! Qualis putamus eius Laconis fuerit dolor, qui nullis dignis famâ rebus editis, mori debuiſſet? Verùm hanc vt ingloriam taceamus. Cuius momenti Cornelij Scipionis morientis vox? IMPERATOR BENE HABET: Benè habet, nam mors requies ærumnarum, luctus & miſeriarum extinctio, cunctorumque malorum diſſolutio eſt. Benè habet, quia inter mortem & vitam, cum vtraque res ſit æquè, ſecundum naturam nihil intereſt. Benè habet, quia non imbellium, ſed fortium nec meticuloſorum, ſed Magnanimorum, hominum eſt, vt Principium, in arduis negotijs, animosè inhoare, medium, laudabiliter & conſtanter perficere, demum, exitus glorioſè terminare: nec amplius de vita

hac

hac breui, fugaci, incerta, plena tædiorum, plena calamitatum & anxietatis, miſerabiliter queri; verum de illa ſuperna quam nulli circumſtant hoſtes, nulli concutiunt turbines, nulli conficiunt metus, iucundiſſimè lætari. Stupendum! Olor ille Socraticus, veluti Diuinitatis cuiuſdam particeps, vt primum voluptates illius vitæ præſenſiſſet, ita totus à ſe ipſo dicitur fuiſſe ábreptus, quo minus dolores præ gaudio, amaritudinem præ dulcedine, aſperitatem præ ſuauitate, ſupremum attingens diem ſentiret. Deus bone! quid non hominibus, piè, ſanctè, religioſèque viuentibus, dum cœlitùs vel infirmitate, vel caſibus innumeris, vel multiplici genere cauſarum, aut euentuum monentur, futuri tandem exitus: quid non inquam illis faciendum? Naturamné cum Theophraſto culpabunt? fauentiorem Coruis & Cornicibus eſſe indignabuntur? O vtinam ſapiant! & cum poſtremum diem, ſibi quotidie videant inſtare; *craſtinum* nunquam, cum integerrimo Meſſodano, habeant: cauſamque moriendi, poſt quam viderint imminere, lætabundi, non tamen exemplo Cyrinacei Hegeſiæ, aut Ambrocinatæ Cleombroti, ſententiam fati ſupremam accipiant. Sed arguant ignaui mortem diligentiæ? Damnent eam ſcelerati immanitatis? quæ non miſeretur inopiæ, non reueretur diuitias, non ſapientiæ, non moribus, non denique ætati parcit. Accuſetur illa fraudis, cum nunquam piſcator, hamum ita piſcibus inijcit, nec ſic doloſè auceps retia tendit auibus, vt illa ſexus cuiuſuis conditionem, & omnem ætatem, cuniculis adoritur: congerant innumera in eam conuitia, qui nihil in vita egerunt, quod eos in morte conſolaretur: Ampliſſimus Vir FRANCISCVS FLORIANVS ZEBRZYDOVIVS, quia nullis in occaſionibus, caritati & libertati Patriæ, fortunis ac ſaluti Ciuium defuit, quinimo, ſemper his prodeſſe, nunquam obeſſe contendit; proindeq; egregijs pro meritis omnium ſtudijs beneuolentiæ, celebris, portum, vnicuiq; in hanc lucem edito, penitus petendum & calcandum, attigit: quid putamus? an non vt Theramenes quondam, auditâ ab Ephoris lethali ſententiâ, ſic ille cognito fati firmo edicto fuerit lætatus, & illud identidem repetierit: HONESTE MORI NON CONTINGIT, NISI VIRTVTE PRÆDITIS. Decuit illum tam ſtrenuè decedere, cuius virtutes, non tenebris inuolutæ delituerunt; verum in Clariſſimo Reipub. theatro, floruerunt. Potuit nullis Aquilonibus, hoſtili rabie concitari tunc maximè ſolitis, terreri; quum Sacroſanctam religio-

nem, inprimis adnitebatur venerari. Nimirum, adeò Diuini honoris flagrans extiterat, vt non compositis ad applausum vel contentionem verbis, ast integerrimo pietatis sensu, Maiorum suorum more, Cælestium incolarum cultum promoueret: nec in grauibus Reipub. causis peragendis, tantùm humanæ prudentiæ, vel ingenij solertiæ, quantùm cultui in superos, & illorum obseruantiæ religiosæ, tribueret: & nequaquam arduorum auspicatum forè principium priùs, quàm cæleste interno mentis affectu sentiret præsagium, iudicaret. Atq; fuit illi hæc lex & nata, & scripta: eam enim & didicit, & accepit, & legit, & ex natura ipsa arripuit, hausit, expressit, ad quam, & doctus, & factus, & institutus, & imbutus, fuit: vt in summis, & minimis rebus, initia non, antequam Numini Supremo litasset, aggrederetur: nec successum speraret optatum priùs, donec hanc iustitiæ & pietatis rationem, seruasset. Ac non immemor ille INSIGNIVM, cælitus Maioribus suis, viris, & prudenti consilio, & forti dexterâ, & sanctimoniâ vitæ præstantissimis, ad tutandam communem salutem, ad vindicandum, non magis Polonorum decus, quam Ecclesiæ libertatem, & immunitatem, ad propulsandas iniurias subditorum, & ad retinendas vindicias innocentum, collatorum defensor non oppressor, fautor non direptor, propagator non depopulator, cum Florentissimæ Patriæ, tum quos illa tenerrimè gremio suo fouet, & cum quorum integritate, suam vigere prosperitatem & diuturnitatem, apud omnes in confesso est, extitit: secùs autem, si quid audacter in hæc, quæ tueri debemus omnes, delinqueret: vindictam protinùs ceruicibus & iugulis instare cogitauit. Ergone mirabitur aliquis, cur ille nusquam conuellendas Ecclesiæ libertates senserit? nusquam exhauriendum esse Pattimonium Christi in animum induxerit? nusquam reddendos Ministris DEI prouentus, aut retinuerit, aut impugnauerit, aut non vindicauerit? at semper auxerit, defenderit, nec minutis, & vilibus rebus, (iuxta Licurgi leges) verùm puritate mentis, Cælites coluerit? Certè quamuis Maiorum suorum vestigijs hic institerit, & præ oculis habuerit Moderatoris DEI indignationem, legum suarum transgressoribus comminantem, & verius de illis pœnas, quàm fabulosus olim Apollo, ob nudatum se veste aureâ, aut Iuno Lucina; ob tegulam è suo templo in ædem Fortunæ translatam, de Quinctio Fuluio, vt præteream, Cyri filium cogitantem diripere fanum Ammonis: re-

peten-

petentem: nihilominùs hæc, eum maximè fecisse, quia DEVM Conditorem vniuersi integerrimè dilexerit, iudicemus. Hîc nimirum est solidioris pietatis excellens modus, hoc præsente feliciùs viget iustitia, firmiùs radicatur fortitudo, præcellit mansuetudo, fides regnat, abstinentia floret, innocentia, sapientia, comitas, cæteræq; virtutes triumphant. Hoc absente grassantur iniuriæ, serpit malus diuturnitatis custos metus, ebullit ferocitas, intumescit perfidia, insolescit luxuries, scelus, inertia, barbaries, & omnia vitia flagitiaq; in perniciem honestatis, famæ bonæ & salutis, conspirant. Hæc ille semper cum execratus, virtutes autem amplexus fuerit; tum vera laudis & splendoris ornamenta collegit: tum non minùs acritèr contra hostes religionis, quàm Athenienses in barbaros, Eumolpi sancitis obtemperantes, detonuit: & eruditæ Mineruæ deuotos, propensiùs quàm Agesilaus Bëotios, apud Coroneam, in eius nominis delubro latentes, defendit, erexit, ornauit. Quis autem, quantum ab eis perpetuò sibi cauisset, quæ in alijs improbaret, aut non minùs proficua consilia, componendis affectibus, ac naucleri solis æstum ventis inimicum, adamauisset: nec vicinis molestus, nec subiectis grauis, nec amicis difficilis fuisset: quis inquam valeat explicare? Sed luce clariùs id Familiarium suspiria, domesticorum gemitus, Ciuium vota, cunctorum mæror & squalor, testantur. Tuum autem ILLVSTRISSIME DOMINE: MICHAEL NICOLAE ZEBRZYDOWSKI, Supreme Regni Poloniæ Ensif: &c. Carissimi funesto Fratris decessu, afflictum & concussum pectus, inprimis quis non intueatur? Non enim tu præceptis Socratis eruditus, sed optima præditus indole, neq; admisisti, vt lances in statera, regula morum tuorum haberentur, vbi vno depresso, alterum extollitur: neq; non meministi Plutarchi doctrinæ, NVLLAM ESSE FRATRIS AMISSI RECVPERATIONEM, VT NEC MANVS ABLATÆ: ac proinde iustus hîc te diuexat dolor, quem amor alit, candor indicat, pietas exprimit, lachrymisq; copiosissimis explicat. Angeris vehementèr, quia tali fratre, cui vel Cæli summam promittebant felicitatem, priuatus: in luctu & squalore, sublato illo, relictus conspiceris. Turbaris! Sed moderentur tantæ doloris acerbitati, nobilissimæ vitâ functi actiones: leniat hanc crudelitatem, ob fatum immaturum, in egregio Senatore expeditum, à tot sæculis plurimorum funeribus exercitata, cuius ille sententiam subijt, necessi-

cessi-

cessitas. Quod si gloriæ ducerent Pompeij amici, si ille Cæsaris manu occumberet; & æquo tulerunt animo Iphei familiares cum Capanei; non doluerunt Lausi decessum eius propinqui, dum Æneæ dexterâ; nec Ornuti mors indignitati fuerat, cum Camillæ ferro, sublati visi; Cuius doloris atrocitatem non leuabit hæc recordatio? Amplissimum hunc Senatorem, eius manu sublatum, quæ à primo homine, in omnes potentes & imbecilles, Principes & Reges, in Milites & Duces, in agrestes & rudes, ac sapientes in profanos & Mystas, immò in ipsum: O incredibilem audaciam! O scelus! O portentum! in ipsum inquam fontem vitæ debacchata est. Eheu mortem indomitam! quæ

Communia toti
Genti sceptra tenens, æternaq; fœdera seruans,
Quæ magnos paruosq; teris, quæ fortibus æquas
Imbelles, populisq; Duces, seniumq; iuuentæ.

At verò, si hæc ingerunt potiùs acerbitatem mæroris, quam egerunt; illud certè, omnis exhauriendi & eliminandi doloris, aptissimum & commodissimum sit argumentum: si non eripuisse Amplissimo huic Viro, sed dedisse vitam, non eum extinxisse, sed perpetuis intulisse splendoribus, non corripuisse, verum integritati restituisse optatæ, è peregrinatione in domum reuocatum, è tempestate in portum tranquillitatis, è naufragio in salutem, è Scyllis & Charybdibus in omnem securitatem translatum censuerimus. Quod si nondum in tuto & salutari constitisset portu, quem illi studiosissimè cupimus, in hunc vt quam primùm exponatur, & in illius conspectum

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum: & Vrbes Regnaq; tristia,
Diuosq; mortalesq; turbas,
Imperio regit vnus æquo.

vt citissimè perueniat: eum firma fide, quia potens; ardentibus votis, quia benignus, intimis animis, quia misericordissimus est; illud purâ & sincerâ mente toties ingeminantes. ABSOLVATVR AB OMNI VINCVLO DELICTORVM, ET SIT IN MEMORIA ÆTERNA supplicemus.

D I X I.

Mortuus eſt, quod cuiuis etiamſi inuito contigit. Benè autem mori, hominis voluntarij, & vt conuenit, inſtituti opus eſt. Beatus igitur quicunq; non longiſsimam, ſed virtuti coniunctam vitam diligit: etſi tempus breue ætatis, DEVS *ei conceſſerit.*

Xenophon Epiſt. ad Satyr.

Non refert, quot annos habeam, ſed quot acceperam, ſi plùs viuere non poſſum, hæc mea eſt ſenectus. Quicunq; ad extremum ſui fati venerit, hic moritur ſenex.

Senec. in Epiſt.

Si mors accedit & vocat, licet immatura ſit, licet mediam præcidat ætatem, perceptus longiſsimè fructus eſt.

Senec. Epiſt. 79.